

**<Lib. II, A. 3: Utrum aliqua quiditas essentialiter a Deo
distincta potuerit aeternaliter a deitatis omnipotentia produci
causaliter effective>**

1. Tertius articulus erat iste: utrum aliqua quiditas essentialiter a Deo distincta potuerit aeternaliter a deitatis omnipotentia produci causaliter effective. Pro cuius articuli declaratione sic procedam. Primo videbitur quae fuerat circa hoc philosophorum opinio, et maxime Peripateticorum, et meo modulo dissolventur. Secundo videbitur de principali quaesito secundum viam duplicem, et utriusque partis motiva ad solatium volentium indifferenter aliquam illarum sustinere meo modulo dissolventur. Et demum ex his quasi correlarie ponetur conclusio ad articulum responsiva.

<Art. 1: Opiniones philosophorum de mundi aeternitate>

2. Quantum ad primum est advertendum quod generaliter omnes philosophantes posuerunt aliquid a Deo distinctum aeternaliter extitisse. Sed diversificati fuerunt, quoniam aliqui posuerunt ipsum mundum fuisse aeternaliter, tam secundum materiale principium quam etiam formale, sed transmutationes generativas et alternativas et corruptivas posuerunt infra naturam quatuor elementorum, et isti fuerunt Peripatetici, Aristoteles ... et sui sequaces. Alii vero, licet posuerunt aeternitatem huiusmodi quoad materiale principium, non tamen quoad formale. Et hi fuerunt diversificati, nam Plato posuit mundum generabile et corruptibile secundum formam et ... trigenta sex millium annorum circulariter renovandum, ut recitat beatus Augustinus, XII *De civitate Dei* cap. 13. Anaxagoras vero imaginatus fuit res infinitas sub quadam confusione in quod chaos extitisse per tempus infinitum, sed ipsas postmodum divinus intellectus ex tempore segregavit; et sic fuit mundi formatio subsecuta. Empedocles vero posuit mundum per amicitiam infinities generari et ipsum toties per litem corrumpi. Et sic apparet quod generaliter philosophi in materiali principio fuerunt consentientes quod aeternaliter fuerat, sed in formali fuerunt diversificati.

213,14 Quantum] quarta C 27 ex tempore] scrip. pos. segregavit sed corr. signis transp. C

213,4 Tertius] Certain passages were rendered illegible because of scratches in the microfilm; in such cases the illegible words/phrases were replaced with 3 dots ... Etz Augustinus] AUGUST., *De civ. Dei*, XII, c. 13 (CCL 48, ???; CSEL 40-1 ???; PL 41 ???): Cum de mundi origine quaestio verteretur, eis, qui nolunt credere non eum semper fuisse, sed esse coepisse, sicut etiam Plato apertissime confitetur, quamvis a nonnullis contra quam loquityur sensisse credatur

3. Sed quia aliqui theologi volunt Aristotelem catholicum facere, dicunt quod numquam fuit sua opinio quod mundus aeternaliter fuerit, 35 sed potius sensit oppositum, quod ex ipsius principiis nituntur probare. Ideo versatur nonnullos quae fuerit intentio philosophi in hac parte dubium scrupulosum.

4. Pro quo elucidando motiva sic dicentium recitabo et solvam, et consequenter ostendam quod opinio Aristotelis fuit illa quam in 40 principio iam praemisi. Arguo igitur pro parte illorum et primo sic: nullus rationabiliter debet existimare Philosophum tam praeclarum sibi ipsi in medio dicendi contradixisse; sed si Aristoteles posuit mundum aeternum sibi ipsi multipliciter contradixit; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor probatur, quoniam ipse, III 45 *Physicorum*, dicit impossibile est infinita esse pertransita; sed posito quod mundus aeternaliter fuerit, infiniti dies et anni et menses sunt partransiti; ergo sequitur quod aliqua infinita sunt pertransita quod suis dictis repugnat; quare propositum.

5. Praeterea, principium est apud Aristotelem quod impossibile 50 est actu existere infinita, ut patet per ipsum in multis locis; sed data mundi aeternitate, sequitur oppositum istius principii; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor probatur, quoniam si mundus est aeternus, infiniti homines fuerunt quorum quilibet est corruptus, et tamen ipsorum animae, quae sunt 55 permanentiae, sempiternae remansissent, quoniam secundum ipsum, II *De anima*, anima separatur a corpore tamquam perpetuum a corruptibili; et per consequens iam de facto essent animae intellectualiter infinitae. Similiter si in quolibet anno virtus primae intelligentiae produxisset unum lapidem ipsum uniendo cum lapide 60 producto in alio anno, potuisset ex omnibus his resultasse iam de facto magnitudo infinita. Et sic posita mundi aeternitate, tam in quantitate continua quam discreta, iam de facto esset infinitas actualis, vel saltem esset possibilis, quod suis dictis ut praemissum est manifeste repugnat.

6. Praeterea, principium existit apud Philosophum quod nullum 65 infinitum est maius alio infinito ; quare propositum. Consequentia patet et maior per descriptionem ipsius infiniti quam dat, III *Physicorum*, cuius videlicet quantitatem accipientibus semper restat aliquid accipiendum. Sed minor probatur, quoniam si mundus

44 III *Physicorum*] ARIST., *Physica*, III, c. 4 (AL VII-1, 114; Γ, c. 4; 204a 3-8). 56 De anima] ARIST., *De anima*, II, c. 2 (β, c. 2; 413b 26-27); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 178: Intellectus separatur ab aliis potentiis animae sicut perpetuum a corruptibili. 67 III *Physicorum*] ARIST., *Physica*, III, c. 6 (AL VII-1, 128; Γ, c. 6; 207a 7-9): Infinitum quidem igitur hoc est cuius secundum quantitatem accipientibus semper aliquid est accipere extra.

fuit aeternus, infinitae fuerunt solis revolutiones, et similiter lunae infinitae fuerunt revolutiones; sed constat quod pro qualibet revolutione solari correspondet ad minus duodecim lunares; ergo totus numerus categorematicae sumptis revolutionum lunarium est maior numero solari; quare propositum.

7. Praeterea, principium est apud Philosophum quod infinito nulla potest fieri additio; sed data mundi aeternitate hoc sequitur; ergo propositum et maior discurrenti dicta sua. Et minor apparet, quoniam signato numero dierum praecedentium in aeternum, fit continua dierum additio; et similiter signato numero quarumcumque productionum fit continua productionis additio; quare propositum.

8. Praeterea, principium est apud eum, et communis animi conceptio, quod nulla pars est suo toti aequalis; sed data mundi aeternitate, hoc sequitur; ergo propositum. Consequentia et maior patent. Et minor declaratur, non signo per imaginationem totum numerum revolutionum solarium qui sit *a*. Et signo unum numerum revolutionum lunarium cui de toto anno correspondet solum una revolutio lunaris et sit *b*. Et totum numerum revolutionum lunarium cui de quolibet anno correspondent duodecim revolutiones lunares et sit *c*. Tunc isto posito, *b* est pars *c*. Tunc arguo sic: *a* et *b* sunt aequalia, et *a* est aequale *c*, ergo *b* est aequale *c*; sed *b* est pars *c*; ergo totum et pars sunt aequalia quod est absurdum. Et primum antecedens patet, quoniam cuicumque revolutioni in *a* correspondet una in *b* et e contra; quare propositum. Et secunda pars patet, quoniam tam *a* quam *c* sunt infinita; quare propositum. Et consequentia patet per illam regulam: si duo aequalia alicui tertio comparentur, fiuntque unum illorum aequale tertio, omnia illa fore aequalia est necesse; quare propositum.

9. Aliter inducitur praedicta conclusio, data mundi aeternitate, sic: sit *a* totum tempus praeteritum desinens esse in principio unius diei et sit *b*; totum tempus futurum incipiens a principio huius diei et procedens in infinitum, et sit *c* totum tempus incipiens a fine istius diei et procedens in infinitum versus futurum. Tunc constat quod *c* est pars *b*, quia *b* superaddit *c* totum tempus quod est a principio istius diei usque ad finem eiusdem. Tunc arguo sic: *a* et *b* sunt aequalia; sed

69 et...70 revolutiones] in imo fol. C 75 aeternitate] ergo propositum add. sed del. signis va-cat C

69 infinitae...revolutiones] Cf. BONAV., *In II Sent.*, d. 1, p. 1, a. 1, q. 2, n. 3 (ed. Quaracchi 1885, p. 21ab); IOAN. PECHAM, *Quaest. disp. De aeternitate mundi*, q. 2, n. 42, ed. I. BRADY-V. POTTER-G. ETZKORN, in *Bibliotheca Franciscana Scholastica XXVIII* (Grottaferrata 2002, p. 586).

c est aequale *a*; ergo *c* est aequale *b*, et per consequens pars est
 105 aequalis suo toti. Maior patet, quia tam *a* quam *b* procedunt in
 infinitum. Minor apparet per similem rationem ex positione
 aeternitatis, habetur propositum.

10. Ad hoc etiam ipsi adducunt quasdam auctoritates quae
 quodammodo videntur asserere mundi aeternitatem. Unde in libro *De*
 110 *pomo* dicit quod Deus sua sapientia creavit saeculum. Similiter, II
Metheororum dicit quod mare factum est de novo. Similiter in *De*
 secretis secretorum in pluribus locis asserit Deum creatorem ex nihilo
 fecisse omnia. Similiter in XII *Metaphysicae*, cap. 'De principiis',
 repraehendit eos qui posuerunt principia imperfecta esse non-bona,
 115 quia licet sperma sit ante hominem, tamen homo simpliciter prior est
 spermate. Unde et in IX *Metaphysicae*, quod quamvis in eodem
 potentia praecedat actum, tamen simpliciter actus prior est potentia. Ex
 quibus duobus potest sic argumentari: impossibile est hominem
 simpliciter praecedere sperma, vel actus potentia, nisi detur primus
 120 homo, quia si sit processus in infinitum, homo simpliciter numquam
 praecederet sperma nec actus potentiam; quare propositum.

11. Ista sunt motiva dicentium Aristotelem sensisse mundum
 fuisse temporaliter a Deo productum, aliter sibi contradixisset quod
 non est putandum de tanto philosopho.]

C 172vb

125 <Contra argumenta supra dicta>

12. Sed salva ipsorum reverentia, ista motiva non concludunt
 suum propositum. Et ideo ad ipsa respondeo. Et dico primo quod
 mundum fuisse aeternum fuit de mente Aristotelis. Secundo dico quod
 aeternitas mundi suis principiis non repugnat.

130 **13.** Ad primam igitur rationem cum dicitur quod Philosophus
 dicit quod infinita pertransiri est impossibile et tamen hoc ponitur
 aeternitas, ergo propositum, hic dico quod si infinita potest sumi
 categorice et syncategorice. Si sumerretur syncategorice, posset
 concedi secundum suam opinionem. Nec esset contra eum quod
 135 infinita sunt pertransita, quia duo sunt pertransita, tria sunt pertransita,
 et sic sine fine. Si autem capiatur categorice, sic nego infinita esse
 pertransita. Et cum dicitur quod sic, quia infinita sunt praeterita, hic
 dico quod licet infinita sint praeterita secundum mentem suam, non

112 secretorum] dicit *add. sed del. C*

110 II Metheororum] ARIST., *Meteor.*, II ??? **113** XII Metaphysicae] ARIST., *Metaph.*,
 XII, c. 7 (AL XXV-3, 259; A, c. 7; 1072b 31-1073a 5). **116** IX Metaphysicae] ARIST.,
Metaph., IX, c. 8 (AL XXV-3, 188; Θ, c. 8; 1049b 5 & b 18-23); *Auct. Arist.*, ed. J.
 HAMESSE, p. 134: Actus simpliciter praecedat potentiam, in uno autem individuo potentia
 praecedat actum. **130** Ad primam] Cf. supra n. 4.

tamen sunt infinita pertransita. Et ratio est, quia pertransitio de sua ratione formali ponit terminum initialem et finalem quae ratio infinita repugnat. Sed praeteritio, licet ponat terminum finalem, non tamen formaliter ponit terminum initialem. Et ideo fallacia consequentis est arguere a ratione praeteriti ad rationem pertransiti, nam bene sequitur est pertransitum, ergo praeteritum; et e contra minime valet de forma. Et sic apparet quod dicta non repugnant.

14. Ad secundum cum dicitur quod infinitas actualis secundum sua principia non potest esse in rerum natura nec in continuis nec in discretis, et tamen hoc singulis annis ... , hic dico quod secundum quod sentit Commentator fuisse de intentione Philosophi, homo non reponitur in esse specifico per aliquam formam aeternam quae sit intellectualis naturae, ut patet, III *De anima*, commento 5; sed est unus intellectus in omnibus, non ut forma sed ut motor, sicut intelligentiae dicuntur esse in orbibus spaerarum. Et uci non placet haec positio, capiat positionem alterius antiqui Commentatoris qui praecessit Averroem, videlicet Alexandri qui ponit cuiuslibet hominis ultimam formam esse de potentia materiae ad esse deductam; et sic in corruptione hominis nulla forma aeterna remanet.

15. Sed forsitan dicitur quod haec positio non stat cum dictis Aristotelis, quia ut in argumento allegatum est anima separatur a corpore tamquam perpetuum a corruptibili, hic diceretur secundum imaginationem Alexandri quod haec separatio intelligitur quantum ad operationem, non quantum ad substantiam, quia operatio ultimae formae per quam homo reponitur in esse specifico non provenit ex aliquo organo corporali, sicut apparet in visu et aliis sensibus exterioribus, et ideo talis forma separatur a corpore secundum operationem, hoc est non utitur corporeo instrumento sicut nec perpetuum. Et ideo auctoritas illa, quantum ad substantiam, nihil aliud vult nisi hoc quod sicut perpetuum non utitur corporeo instrumento et ex hoc ab eo separatur, ita et talis forma hominem reponens in esse specifico; quare propositum. Et cum dicitur de lapidibus apparet quod modicum concludit contra Philosophum, quia secundum eum prima causa non producit ad extra voluntarie; immo, ut alias dixi, nullo modo iuxta imaginationem Philosophi. Sed dato adhuc quod naturaliter produceret, numquam tamen potest aliquod elementum producere sine causis secundis propter ordinem essentialem qui est inter causas. Et secundum hoc fundamentum argumenti multum deficit ab Aristotelis imaginatione; quare propositum.

146 Ad secundum] Cf. supra n. 5. 151 De anima] AVERROES, *De anima*, III, com. 5 (ed. F. S. CRAWFORD, p. 389). 159 allegatum est] Cf. supra n. 5.

16. Ad tertium cum dicitur quod principiis Philosophi repugnat unum infinitum esse maius alio, sed hoc ponit aeternitas in
 180 revolutionibus solis et lunae, quare propositum, hic dico quod secundum viam Philosophi unum infinitum non est minus alio nec maius nec proprie aequale, quia maioritas et minoritas et etiam aequalitas sunt tantummodo passiones quantitatis finitae. Unde imaginor quod additio finiti ad infinitum se habet sicut additio
 185 punctorum ad lineam. Nunc autem si per imaginationem adderentur alicui lineae puncta finita vel infinita, non propter hoc linea esset maior vel minor altera seu sibi aequalis. Et consimiliter in proposito et ideo additio duodecim revolutionum lunarum licet faciat excussum, ut sic absolute considerata, non tamen ut additur infinito
 190 non plus quam faciat punctus supra lineam. Et sic apparet quod ibi ex hoc non provenit maioritas vel minoritas. Quod autem non aequalitas apparet, quia tunc in eis superadditio in uno faceret inaequalitatem, quod falsum est. Sic igitur apparet quod ratio illa non monstrat repugnantiam in dictis Philosophi per rationem aeternitatis; quare
 195 propositum.

17. Ad quartum cum dicitur quod infinito nulla potest fieri additio, sed data mundi aeternitate, ergo etc., hic dico quod additum potest intelligi duobus modis: uno modo ex parte illa unde infinitum est, alio modo ex parte illa unde finitum est. Primo modo est
 200 impossibile quod fiet additio infinito; secundo modo nullum est inconueniens. Et sic primo modo repugnaret, non solum dictis Philosophi, verum etiam rationi. Unde si aliquod corpus esset secundum omnem differentiam infinitum nulla sibi posset fieri additio; quare propositum.

18. Ad quintum cum dicitur quod data mundi aeternitate, tunc pars esset suo toti aequalis, quod] est dictis Philosophi repugnans, et
 205 consequentia probatur ibi per casum de revolutionibus et assignatione temporum praeteriti et futuri, ad istud dicunt quidam quod nullum est inconueniens ubi pars est infinita et totum infinitum quod sit pars suo
 210 toti aequalis. Et dicunt ulterius quod illud principium intelligitur de parte et toto quae sunt finita.

19. Sed ista responsio non videtur sufficiens pro eo quod non satisfacit conceptioni communi, quoniam omne quod continet tantum quantum aliud et aliquid plus, non potest imaginari illi aequale. Sed ita

C 173rb

203 sibi posset] *iter. sed del. C*

178 Ad tertium] Cf. supra n. 6. 196 Ad quartum] Cf. supra n. 7. 205 Ad quintum] Cf. supra n. 8.

est de toto respectu partis quod totum continet omne illud quod 215
continet pars et aliquid plus; ergo propositum.

20. Alii dicunt quod non est inconueniens unum infinitum esse
maius alio, et ideo licet pars sit infinita, est tamen totum cuius est pars
maius ipsa.

21. Sed ista responsio repugnat responsioni datae ad tertium 220
argumentum et etiam dictis Philosophi, et ideo non saluat ipsum. Ideo
dico quod quantitas, quae ex una parte assignatur infinita, et ex alia
finita, habet duplicem rationem, finitatis videlicet et infinitatis.
Diceretur ergo quod infinito ut sic repugnat ratio partis, et ideo nihil
potest intelligi per modum partis nisi per rationem finiti. Dico ergo 225
quod si aliqua quantitas signetur sub ratione partis, tunc oportet ipsam
intelligere finitam, et ut sic absque dubio totum est sua parte maius. Si
autem assignatur sub ratione infiniti, nullo modo est intelligibilis quod
sic pars et ut sic talis quantitas comparata nec etiam
aequalis. Et ita credo quod diceret Philosophus, cuius dictis taliter 230
intellectis, aeternitas non repugnat.

22. Ad auctoritates patet quod prima quae sumitur ex libro De
pomo non facit contra eum pro eo quod de auctoritate illius libri,
utrum fuerit Aristotelis verisimiliter dubitatur, immo creditur a multis
firmiter quod numquam fecit Aristoteles illum librum. Et consimiliter 235
dicitur de libro qui dicitur *De secretis secretorum*. Posset etiam dici
quod accipit creationem large, videlicet pro productione; vel potius
accepit terminum secundum usum vulgatum quo solent homines in
omni sectu Deum vocare creatorem.

23. Ad aliam auctoritatem de libro *Metheororum* quod mare sit 240
de novo factum, dicto quod sumit factionem pro simplici emanatione,
et novitatem pro occupatione alicuius loci in quo mare prius non fuit
secundum aliquam sui partem, ut sit iste terminus factum(?) restrictus
per additionem novitatis ut factum est de novo mare adest secundum
aliquam sui partem est in aliquo loco in quo prius non fuit, ut patet in 245
aliquibus partibus mundi in quibus mare cooperuit terram, et istum
sensus credo potius habuisse Philosophum.

24. Ad illud quod actus simpliciter praecedit potentiam et homo
sperma quod non esset verum si mundus fuisset ab aeterno, hic dico
quod istam prioritatem intelligit per modum motoris, quia sperma non 250
agit nisi sit motum ab homine, sed homo sic. Similiter potentia non

C 173va

220 responsioni...tertium] Cf. supra n. 16. 232 Ad auctoritates] Cf. supra n. 10. 240 Ad
aliam] Cf. supra n. 10. 248 Ad illud] Cf. supra n. 10.

educitur nisi per actum et non per se ipsam, licet apud eum ante omnem hominem fuit sperma, et ante omne sperma fuit homo.

255 25. Et similiter in generabilibus et corruptibilibus ante omnem actum fuit potentia, et ante omnem potentiam fuit actus. Prioritas igitur illa intelligitur modo praeexposito. Et sic apparet quod ratio aeternitatis dictis Philosophi non repugnat. Unde mirandum est de multis doctoribus qui volunt unitatem fidei per tales exterminationes rudibus demonstrare, quod non reputo rationi consonum nec
260 conveniens fidei puritati. Bene vellem quod Aristoteles fuisset Christicola, sed loquela sua ipsum reddit cunctis legentibus manifestum.

265 26. Sed quod ista fuerit opinio Aristotelis sub dictis probatur testimoniis. Unde Commentator, I *Caeli et mundi*, commento 102, dicit opiniones mundi sunt quatuor: aut credere ipsum neque esse generabilem nec corruptibilem, et haec est opinio Aristotelis et ipse fuit primus dicens hoc philosophorum Graecorum, et consequenter narrat alias opiniones; quare propositum.

270 27. Similiter Magister hoc idem asserit, II *Sententiarum*, distinctione 1 ... Aristoteles, inquit, duo principia dixit, scilicet materiam et formam et tertium cooperatorium mundum quoque semper esse et fuisse aeternum; quare propositum.

275 28. Similiter Boethius *De consolatione philosophiae* dicit quod Aristoteles censuit de tempore sicut de mundo quod nec incepit umquam nec esse desinat; quare propositum.

29. Sed ne aliorum tantum utamur testimonio, nonne hoc idem probat ex intentione, VIII *Physicorum* cap. 2 per tres rationes quae aliquibus fuerunt in se demonstrationes quas adducam et solvam; quare propositum.

280 30. Unde prima ratio quam facit ibidem sumitur ex parte motus quae talis est in sententia. Quodlibet quod incipit esse, incipit esse per mutationem; si ergo prima mutatio incipit esse per mutationem incipit esse; sed non per mutationem quae sit ipsa; ergo per aliam, et per consequens primam mutationem praecessit mutatio, quod est

253 fuit¹] *mg.* C

264 Commentator] AVERROES, *De caelo*, I, com. 102 (ed. Iuntina, V, f. 69vM-70bD).

269 Magister] PETRI LOMBARDI, *Sent. in IV Libris Dist.*, II, c. 1, c. 3, n. 4 (ed. I. BRADY, II, p. 331): Aristoteles vero duo principia dixit, scilicet materiam et speciem, et tertium 'operatorium' dictum; mundum quoque semper esse et fuisse. 273 Boethius] BOETHII, *De consol. philos.*, ??? 280 prima ratio] Cf. ARIST., *Physica*, VIII, c. 1 (AL VII-1, 277; Θ, c. 1; 250b 21-22): Necessarium enim est generationes et corruptiones esse cum motu ipsorum..

impossibile. Maior videtur ex hoc, quoniam non est imaginabilis 285
transitus de contradictorio ad contradictorium sine mutatione; sed
cuiuslibet incipientis esse datur primum vel ultimum; ergo
propositum. Et minor apparet, quoniam si detur prima mutatio, oportet
C 173vb tunc dicere quod nunc aliter se habet quam prius, sicut apparet de
quocumque noviter incipiente. Et per consequens oportet quod talem 290
mutationem praecesserit aliqua mutatio, quia aliquo modo nunc se habet
qualiter prius non se habuit mutationem includit, et ita apparet quod
nulla poterit assignari prima mutatio.

31. Praeterea, sequitur tempus est perpetuum, ergo motus est
perpetuus et per consequens mobile est perpetuum et ita mundus est 295
perpetuus. Consequentiae ultimae patent. Et prima apparet per
definitionem temporis in qua ponitur motus, quoniam “tempus est
mensura motus secundum prius et posterius,” ut dicitur IV
Physicorum. Sed antecedens probatur, nam sequitur tempus est, ergo
instans est; et ultra instans est, ergo praeteritum et futurum similiter 300
est, et per consequens quocumque instanti dato, ante illud fuit instans.
Prima consequentia patet et secunda similiter ex ratione instantis qua
dicitur quod instans est finis praeteriti et initium futuri. Ut sic possit
ratio confirmari: cui non potest assignari primum sui esse et ultimum
sui non-esse, eidem correspondet aeternitas; sed ita est de tempore; 305
ergo propositum. Consequentia et maior patent. Probatur minor: nam
tempori non potest assignari instans initiativum, quia signato instanti,
ante illud fuit tempus et per consequens instans; quare propositum..

32. Praeterea, quodlibet, ad cuius esse vel non-esse sequitur
ipsum esse, est formaliter aeternum; sed tempus est huiusmodi; ergo 310
propositum. Consequentia patet. Et maior ex hoc, quoniam esse vel
non-esse rei est aeternum; ergo propositum. Et minor probatur,
quoniam sequitur tempus est, ergo tempus est infra est, ergo
tempus est. Probo istam consequentiam, quia si tempus nunc est, et
immediate ante hoc non fuit, sequitur quod non-esse temporis 315
praecessit suum esse, et per consequens ibi prius et posterius; sed ubi
prius et posterius, ibi tempus; ergo si tempus non est, ergo tempus est;
quare propositum.

300 ergo] est *add. mg.* C 313 infra] *mg.* C

295 mobile...perpetuum] Cf. ARIST., *Physica*, VIII, c. 6 (AL VII-1, 306; Θ, c. 6; 258b
13-15; eiusdem, *Physica*, VIII, c. 6 (AL VII-1, 308; Θ, c. 6; 259a 13-15). 298 IV

Physicorum] ARIST., *Physica*, IV, c. 11 (AL VII-1, 178; Δ, c. 11; 220a 25-26): Igitur
tempus numerus motus secundum prius et posterius; cf. *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p.
151: Tempus est numerus motus secundum prius et posterius, ied. est prius et posterius
sunt in motus prout nata sunt comprehendi in anima.

<Responsio ad rationes supra dictas>

320 **33.** Ad istas rationes respondeo. Ad primam dico quod in rei
 veritate petit principium, videlicet quod omne quod incipit esse per
 mutationem distinctam ab ipso incipit esse. Et ratio est, quia quod per
 creationem capit esse, non oportet quod per mutationem, quia creatio
 325 proprie non est mutatio, sed est ipsa dependentia effectus ad suum
 principium a quo constituitur in esse, sive sit relatio sive ipsamet res
 producta, non curo ad praesens. Et ideo non est imaginandum etiam
 quod actio Dei sit quaedam mutatio sicut in agentibus naturalibus solet
 communiter imaginari. Propterea non oportet quod productionem
 passivam praecedat aliqua mutatio, licet hoc communiter videatur
 330 verum in his quae agunt per mere transmutationem, cuiusmodi non est
 in proposito.

34. Ad secundum cum dicitur quod si tempus est aeternum quod
 etiam motus, concedo| istam condicionalem. Et cum dicitur quod ita
 est de tempore, nego. Ad probationem, quia si ponatur tempus non
 335 poterit sibi assignari primum sui esse vel ultimum sui esse pro eo quod
 instans est finis praeteriti et finitium futuri, apparet manifeste quod
 ista ratio similiter petit principium. Unde diceretur faciliter quod non
 ante omne instans fuit instans, et ideo dandum est primum instans
 temporis. Et neganda est descriptio universaliter, et ulterius
 340 concedendum est quod praesens tempus quodlibet tempus praeteritum
 praecessit.

35. Ad tertium cum dicitur quod in radice quod ex non-esse
 temporis sequitur suum esse, hoc nego. Ad probationem cum dicitur
 quod si tempus iam est et immediate ante hoc non fuit, non-esse
 345 temporis praecessit suum esse et per consequens ibi est prius et
 posterius, quare et tempus, hic dico quod ibi nulla est realis praecessio
 quae dicat successionem, sed est tantummodo ratiocinatio intellectus.

36. Et ad istam imaginationem sufficit dicere quod non-esse
 temporis et esse sunt immediata, nam esse aeternitatis erat tempori
 350 immediatum cuius esse antequam esset tempus erat non-esse temporis;
 quare propositum.

<Argumenta philosophorum pro aeternitate mundi>

37. Ulterius adduco aliqua philosophorum motiva mundi
 aeternitatem probare praetendentia, ut ipsis solutis clareat evidentius
 355 fidelis professio christianae religionis. Arguitur igitur primo sic:
 quaelibet res a qua ex conclusione propria removetur potentia ad
 non-esse, est ex ratione propria sempiterna. Sed aliqua entitas citra

320 Ad primam] Cf. supra n. 30. 332 Ad secundum] Cf. supra n. 31. 342 Ad tertium]
 Cf. supra n. 32.

Deum est huiusmodi; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior ex hoc, quoniam cuicumque competit necessitas essendi, eidem competit aeternitas. Sed a quocumque ... potentia ad non-esse, eidem competit necessitas essendi, quoniam quod est et non potest non-esse, necesse est esse; ergo a quocumque removetur potentia ad non-esse, eidem competit aeternitas; quare propositum. Et minor probatur, nam materia prima et similiter caelum et intelligentiae sunt entitates citra Deum quibus repugant non-esse. Quod sic probatur, quoniam quodlibet quod intrinsece habet sibi annexam potentiam ad non-esse, habet contrarium possibile vel reale; ergo propositum. Sed huiusmodi entitates non habent contrarium possibile vel reale; ergo propositum. Probatur minor, nam signo materiam primam. Et quaero numquid aliquid potest esse sibi contrarium corruptivum, vel non? Si non, habetur propositum. Si sic, quaero: numquid illud est forma, materia vel compositum? Non materia, quia illa est mere potentialis; nec forma, quia per illam materia capit esse; nec compositum, cum illud fit ex materiali principio constitutum, quare propositum.

38. Nec valet dicere quod licet non possit non esse per aliquid sibi contrarium, tamen potest non esse per ipsum voluntatis omnipotentis, quoniam impossibile est voluntatem omnipotentem facere aliquid sine eo quod est de sua ratione formali; sed materiae primae ex ratione propria repugnat potentia ad non-esse, aliter ita esset corruptibilis sicut forma; quare propositum.

39. Et confirmatur, quoniam virtus durativa uniuscuiusque rei attenditur penes entitatem eiusdem; si ergo sit aliqua entitas quae ex ratione propria excludit potentiam ad non-esse, sequitur quod eidem consimiliter correspondet de virtute durativa; et per consequens si materia prima et intelligentiae sint entitates talis condicionis, sequitur quod ipsarum virtus durativa est aeterna; quare propositum.

40. Praeterea, Deus et natura nihil agunt frustra, ex I *De caelo et mundo*; sed omnibus rebus inest appetitus ad semper esse, et hoc salvari non videtur individualiter; ergo saltem specificiter hoc est verum, et per consequens aliquid citra Deum est aeternum. Consequentia patet et maior est communiter concessa. Et minor apparet, quoniam generatio indita rebus corruptibilibus, vel est propter aliquem finem, vel propter nullum. Non est dicendum quod propter nullum, quia sic esset frustra. Si ergo est propter aliquem finem, et non videatur nisi conservatio speciei, sequitur quod generatio est propter conservationem speciei. Cum igitur huiusmodi appetitus ex parte naturae sibi non praefigat terminum, sequitur quod est perpetua et

387 De...388 mundo] ARIST., *De caelo*, I, c. 4 (A, c. 4; 271a 33); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 161: Deus et natura nihil faciunt frustra.

aeterna, et ita aliquid citra Deum est perpetuum et aeternum; quare propositum.

400 **41.** Praeterea, si nihil a Deo est aeternum, aliquid aliud a Deo est aeternum; ergo iam de facto aliquid aliud a Deo est aeternum. Consequentia ista patet per illam communem regulam: “quidquid sequitur ad consequens, sequitur ad antecedens.” Sed antecedens quae
405 est una condicionales sic probatur: quoniam sequitur nihil aliud a Deo est aeternum, ergo verum vel falsum est nihil aliud a Deo fore aeternum, si falsum, habetur propositum, quia tunc aliquid aliud a Deo est aeternum. Si verum, vel ergo illud verum est increatum seu Deus vel aliud a Deo. Non Deus, quia tunc Deus esset nihil aliud a Deo aeternum, quod non videtur verum. Si ergo aliud a Deo, habetur
410 propositum quod aliquid aliud a Deo est aeternum. Nam constat quod si verum est nihil aliud a Deo esse aeternum, cum hoc non sit temporale, habetur propositum.

42. Praeterea, aliquid est factum et contradictionem implicat aliquid esse de nihilo factum; ergo iam de facto quodlibet factum
415 praesupponit aliquid ex quo factum est, et cum non sit abire in infinitum, sequitur quod aliquid ex quo fuit alia est aeternum; tale autem non potest esse Deus; quare propositum. Consequentia patet. Et minor principalis probatur, videlicet quod contradictionem implicat aliquid esse de nihilo factum, quoniam non maior repugnantia est
420 alicuius ad nihil quam sit nullius ad aliquid; sed contradictionem implicat nihil sive non-ens fieri ex alio; ergo similiter contradictionem implicat aliquid fieri ex nihilo sive ex non-ente; quare propositum.

43. Praeterea, quod est et non semper fuit, possibile ertat ipsum esse; aliter si impossibile fuisset ipsum esse, numquam fuisset; sed
425 aliquid nunc est quod non semper fuit; ergo antequam esset, possibile erat ipsum fore. Vel ergo huiusmodi| possibilitas erat Deus vel aliud a Deo. Non est dicendum quod Deus, quia tunc quando possibilitas huiusmodi poneretur in actu, aliquid quod est Deus poneretur in actu, et sic quaelibet creatura pro nunc in esse posita esset de substantia
430 Dei, quod videtur falsum et impossibile. Si ergo non sit Deus, cum aeternaliter fuerit huiusmodi possibilitas quia aeternaliter possibile fuit aliud a Deo esse, sequitur propositum.

44. Praeterea, sequitur ‘actio est, ergo agens et actum sunt’, consequentia patet. Et tunc sic: ista consequentia est bona, ergo pro

425 ergo] propositum *add. sed del. C*

402 quidquid...**403** antecedens^{1]} ARIST., *Anal. Priora*, I, c. 28 (AL IV-1, 61; A, c. 28; 43b 40-41); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 309: Quidquid sequitur ad antecedens, sequitur ad consequens.(!)

quacumque mensura. Antecedens est verum, pro eadem consequens 435
est verum. Sed aeternaliter ita fuit sicut significatur per antecedens,
ergo et consimiliter ita fuit sicut significatur per consequens, et ita
aliud a Deo fuit aeternum. Consequentia patet. Et minor probatur, nam
actio Dei aeterna est et non temporalis; quare propositum.

45. Praeterea, posita causa sufficienti in esse ad productione 440
alicuius effectus et nullatenus impedita, ponitur effectus; sed
aeternaliter fuit causa sufficiens ad productionem alicuius alterius a
Deo; ergo sequitur propositum. Antecedens patet. Sed consequentia
probatur, quoniam si aliqua esset instantia quare consequentia non
valeret, hoc maxime videretur quia Deus est causa voluntaria; sed hoc 445
non impedit; ergo etc. Probo minorem, quoniam voluntas non
retardatur nisi propter aliquid in futurum expectatum quod nondum
adest. Et hoc provenit dupliciter: vel ex parte ipsius agentis, vel ex
parte alicuius existentis extra ipsum agens. Si primo modo, potest
dupliciter contingere: aut quia expectatur aliqua ... in agente ut agat, 450
vel quia expectatur aliqua ... alicuius impediens virtutem a sua
actione. Si vero sit ex parte alicuius existentis extra ipsum agens, hoc
similiter potest provenire dupliciter: aut quando expectatur aliquid
coram quo debeat fieri actio, aut cum expectatur praesentia temporis
opportuni. Sed constat quod in voluntate Dei quae est perfectissima, 455
nihil horum potest pro causa assignari; ergo propositum. Et antecedens
patet dicurando per singula.

46. Praeterea, quodlibet agens quod nunc agit et non semper 460
agebat, movetur ad agendum per se, vel per accidens. Si ergo per
adversarium Deus nunc agit et non aeternaliter, et loquor semper de
productione ad extra, sequitur quod movetur ad agendum per se, vel
per accidens. Sed impossibile est ipsum moveri ad agendum per
accidens, cum hoc dicat imperfectionem; ergo hoc sibi provenit per se.
Sed quodlibet tale est sibi intrinsicum agere et aeternum. Ergo
sequitur quod impossibile est ipsum incepisse agere et per consequens 465
aeternaliter producebat, et ita sequitur quod aliquid aliud a Deo fuit
aeternum. Si autem non movetur ad agendum, nec per se nec per
accidens, et agit, sequitur quod sua aeternitas et suum agere sunt sibi
penitus formaliter idem; ergo quam unum est aeternum tam reliquum;
quare propositum. 470

47. Praeterea, quaelibet entitas, cuius operatio est supra tempus,
est aeterna; sed aliqua quiditas a Deo essentialiter distincta est
huiusmodi; ergo propositum. Consequentia patet. Et maior ex hoc,
quoniam actus secundus praesupponit primum. Si ergo operatio, quae
est actus secundus, est supra tempus, a fortiori et entitas cui talis 475

C 174vb

449 modo] non add. sed del. C

operatio correspondet; sed quodlibet supra tempus est aeternum; ergo propositum. Sed minor probatur, quoniam intelligere, quod est operatio intellectualis naturae, est supra tempus, quia tempore non mensuratur; nam simul et semel capit principia et conclusiones, et per
 480 consequens intelligere formaliter non cadit sub mensura successiva, ut in nobis etiam frequentissime experimur; quare propositum.

48. Et confirmatur, quoniam quod excludit a sua quiditate rationem motus, excludit etiam rationem temporis, quia tempus praesupponit motum; sed intelligentiae excludunt a quiditate propria
 485 motum; ergo et tempus; et per consequens sunt aeternae. Probatur minor, quoniam quod excludit propria ratione subiectum alicuius passionis, excludit illam passionem. Nunc autem naturae corporeae est passio ipse motus; ergo quod non est corpus mobile, nec per consequens subiacet motui. Et quod nihil possit moveri nisi corpus
 490 apparet per demonstrationes quae fiunt in VI *Physicorum*, quoniam omne quod movetur partim est in termino a quo, partim in termino ad quem; sed indivisibile hoc non habet, et tale est naturae intellectualis; ergo propositum.

49. Praeterea, vel mundus est aeternus vel Deus non est
 495 omnipotens; sed impossibile est Deum non esse omnipotentem; ergo propositum. Probo assumptum, nam si mundus non est aeternus sed temporaliter productus, sequitur quod Deus per infinitum tempus imaginarium fuit otiosus, et per consequens non est omnipotens. Consequentia ista patet, quia otiositas aut provenit ex fatigabilitate
 500 potentiae, aut ex negligentia operari potentis; sed quodlibet istorum minuitur de omnipotentia; ergo propositum; ergo cum Deus sit omnipotens, sequitur mundum aeternaliter extitisse.

<Responsio ad rationes philosophorum>

50. Ad istas rationes respondeo. Et primo ad primam cum dicitur
 505 in radice quod illud a quo removetur ex condicione propria potentia ad non-esse, est aeternum, tale videtur materia prima, intelligentiae et caelum, ergo propositum, hic diceretur pro materia argumenti quod duplex est necessitas: quaedam est absoluta et quaedam ex suppositione. Primo modo illud dicitur necessarium quod,
 510 circumscripto quocumque alio, non minus tale posset esse; et isto modo impossibile est plura necesse esse. Secundo modo illud dicitur necessarium ad cuius positionem sequitur ipsum ex parte sua habere

490 VI *Physicorum*] ARIST., *Physica*, VI, c. 4 (AL VII-1, 229-230; Z, c. 4; 240b 10-20); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 154: Omne quod movetur est divisibile, quia partim est in termino ad quem movetur. 504 ad primam] Cf. supra n. 37.

C 175ra incorruptibilitatem, et isto| <modo> forsan diceretur corpora caelestia
et intelligentias habere necessitatem.

51. Pro cuius planiori intellectu est advertendum quod 515
huiusmodi necessitas potest in rebus tripliciter provenire: primo modo
ex ordine ad esse eius cuius sunt; secundo modo ex principiis
essentialibus; et tertio modo ex proprietatibus consequentibus
condicionem principiorum essentialium. Verbi gratia de primo modo,
res ex ordine universi quaedam habent potentiam ad esse et ad 520
non-esse, quia in eis reperitur materiae quae semper machinatur ad
malum, ut dicit I *Physicorum*. Quaedam vero quia carent materia,
carent similiter ex parte sua tali potentia ad non-esse. Verbi gratia
similiter de secundo, nam principia essentialia hominis sunt corpus
complexionatum ex quatuor elementis et anima intellectiva; et ideo 525
posito homine, necessario ponitur ipsum esse animal rationale et
mortale. Exemplum etiam de tertio: constat enim quod serra fit de
ferro et ideo si ponitur, necesse est ipsam dentes habere duros. Sic
igitur apparet quid intelligitur nomine necessitatis ex suppositione.

52. Ad propositum igitur applicando dico duas propositiones: 530
prima quod necessitas absoluta infert aeternitatem; secunda propositio
est quod necessitas suppositionis non infert aeternitatem. Quamvis
igitur in intelligentiis et corporibus caelestibus sit suppositionis
necessitas, quia ipsis positus ex principiis intrinsecis non habent
corruptibilitatem non tamen ex hoc oportet ipsa fore aeterna. 535

53. Et si dicatur quod secundum hoc talia non possent non esse
per quamcumque potentiam, hoc nego, quia res tripliciter
ad suum contrarium praedominans. Tertio modo per subtractionem
suae causae. De primo modo apparet in elementis; de secundo modo
apparet in formis accidentalibus; de tertio modo apparet in corruptione 540
lucis quae nec habet contrariam nec ex contrariis est commixta, Et
tamen corrumpitur per subtractionem suae causae. Haec autem
subtractio causae potest intelligi dupliciter: vel quoad esse, vel quoad
influere. Dico igitur quod licet Deus possit se secundo modo
subtrahere, non tamen primo, quia impossibile est ipsum non esse. 545

54. Ad propositum igitur veniendo, licet intelligentiae non sint
corruptibiles primis duobus modis, quia nec sunt commixtae nec
habent contrarium ex contrariis, nec habent contrarium, tamen
corruptibiles sunt per subtractionem influentiae primae causae quae,

541 ex] mg. C

522 I *Physicorum*] ARIST., *Physica*, I, c. 9 (AL VII-1, 39; A, c. 9; 192a 15-16); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 142: Privatio quae est in materia multotiens machinatur ad maleficium.

550 quia libere influit ipsas conservando, posset suam influentiam subtrahere, et tunc talis intelligentia desineret esse. Sicut nunc dicamus de radio solari, quia statim desinit existere propter subtractionem influentiae respectu sui; quare propositum.

555 55. Ad secundam rationem| cum dicitur de appetitu rerum quae, C 175rb
quia non possunt perpetuari individualiter, se ipsas specificè multiplicant, ista ratio in rei veritate non probat aeternitatem a parte ante, sed potius a parte post. Unde argumentum inducit quod si ponatur aliquid quod ex sui natura non potest semper durare, quod ipsum sibi simile generat ut species sua perpetuetur. Utrum autem hoc
560 sit necessarium vel non, posset dici quod ista necessitas est suppositionis per compositionem ad ordinem iam in rebus positum quem, si Deus dimitteret sic permanere, continue esset aeterna rerum corruptio et generatio. Et ex hoc apparet quod adhuc huiusmodi ordo non infert sic necessario aeternitatem a parte post quin posset non esse
565 per subtractionem influentiae primae causae. sic igitur apparet quod nec aeternitas a parte ante nec aeternitas a parte post potest necessitate absoluta concludi; quod est propositum.

570 56. Ad tertium argumentum cum dicitur si nihil aliud a Deo est aeternum quod aliquid aliud a Deo est aeternum, nego istam condicionalem. Et ad probationem cum dicitur quia si nihil aliud a Deo est aeternum verum vel falsum est, quia nihil aliud a Deo est aeternum, hic dico duo. Primum quod talis modus arguendi non valet de forma. Unde non sequitur 'nihil est, ergo verum est quod nihil est, vel falsum est quod nihil est'. Et ratio assignatur communiter, quia ex
575 propositione mere negativa non sequitur formaliter aliqua mere negativa et categorica, et ita est in proposito. – Secundo dico quod dato adhuc quod consequens sit bona et totum concedatur adhuc non habetur propositum nihil aliud a Deo fuisse aeternum. Et cum quaeritur: quid est illud verum? Dicitur quod realiter loquendo ante
580 productionem creaturae nil aliud erat quam prima veritas quae repraesentabat intellectui divino non-existentiam creaturae ab aeterno. Quamvis igitur divina veritas non sit tale complexum, est tamen id quo tale complexum videtur; quare propositum.

585 57. Ad quartum cum dicitur radicaliter quod contradictionem implicat aliquid de nihilo fieri pro eo quod aequalis habitudo videtur alicuius de nihilo et nullius de aliquo, nunc autem contradictionem implicat non-ens de aliquo produci, ergo propositum, hic dico pro

574 vel...est²] in imo fol. C 584 contradictionem implicat] inv. sed corr. signis transp. C

554 Ad secundam] Cf. supra n. 40. 568 Ad tertium] Cf. supra n. 41. 584 Ad quartum] Cf. supra n. 42.

materia argumenti quod ista praepositio de potest dicere
circumstantiam causalem vel ordinem mensurae. Primo modo absque
dubio contradictio est, qualitercumque capiatur causa, quod aliquid 590
fiat ex nihilo tamquam ex materiali principio, formali, finali vel
efficienti, quia causa et causatum se simul ponunt, et contradictio est
non-ens existere; et ad istum sensum currit ratio. Secundo modo idem
C 175va est quod de aliquo. Nunc est verum dicere hoc est secundum se et
quodlibet sui et prius non fuit, et istud communiter dicitur produci de 595
nihilo, et hoc modo nulla est contradictio, nec e converso videlicet
quod aliquid nunc non sit et immediate post hoc erit. Et sic intelligitur
communiter cum dicitur aliquid produci de nihilo vel e contra, ut li de
non sit nota exprimens condicionem causalem, sed potius ordinem
mensurae. 600

58. Ad quintum cum dicitur quod nunc est et non semper fuit,
possibile erat per prius ipsum esse, concedo. Et cum dicitur quod
huiusmodi possibilitas videtur aeterna quia aeternaliter fuit possibile
ipsam esse, hic dico quod possibilitas creaturae dupliciter potest sumi:
uno modo logice et alio modo realiter. Prima possibilitas dicitur 605
non-repugnantia terminorum. Secundo modo subdividitur, quia
quaedam est intrinseca et quaedam extrinseca. Intrinseca possibilitas
est illa quae sequitur formam rei; extrinseca vero per quam forma rei in
esse ponitur.

59. Ad propositum igitur applicando dico vel fit hic mentio de 610
possibilitate logica vel reali. Si primo modo nil aliud haberetur nisi
quod creaturae non repugnabat in esse produci, et istud verum est.
Unde si aeternaliter fuisset formata, vera fuisset. Sed ex hoc non
sequitur quod aliud a Deo distinctum sit aeternum. Si vero fiat mentio
de possibilitate reali, aut fit mentio de intrinseca aut de extrinseca. Si 615
de intrinseca, falsum est quod illa aeternaliter fuit, quia illa
praesupponit entitatem rei. Si vero de extrinseca productiva
potentia qua potest creaturam in esse producere ex qua non sequitur
aeternitas creaturae; quare propositum.

60. Ad sextum cum dicitur quod si actio est aeterna quod 620
effectus est aeternus quoniam sequitur actio est, ergo effectus est, ergo
si actio mensuratur aeternitate, quod consimiliter effectus, hic leve est
respondere theologo. Pro quo dico istam propositionem: quod licet
Dei actio ad extra aeternaliter fuerit, non tamen fuit aeternaliter Dei
actio ad extra, quia haec divinitas aeternaliter fuit et haec est sua actio 625
ad extra; ergo propositum. Et secunda pars patet, quia quandoque non

588 praepositio] propositio C 590 causa] eam add. sed del. C

601 Ad quintum] Cf. supra n. 43. 620 Ad sextum] Cf. supra n. 44.

fuit Deus agens ad extra; ergo propositum. Unde omnes istae conclusiones sunt in ista materia concedendae: incepit ita esse quod actio Dei ad extra est, actio tamen Dei ad extra numquam incepit esse, 630 possibile est actionem Dei ad extra non esse, et tamen actio Dei ad extra non potest non esse. Sic ergo dico quod quamvis sequatur 'actio Dei ad extra est, ergo aliquid aliud a Deo distinctum est,' non oportet tamen quod si actio Dei ad extra sit aeterna, quod aliud a Deo distinctum sit aeternum.] Sed bene sequeretur quod si actio Dei ad 635 extra aeternaliter fuisset actio Dei ad extra quod aliquid a Deo distinctum aeternaliter fuisset. Sed antecedens est falsum ut apparet ex propositionibus datis. C 175vb

61. Ad septimum cum dicitur quod posita causa sufficienti et non impedita necessario ponitur ille effectus, sed aeternaliter Deus 640 erat causa sufficiens, ergo propositum, hic dico quod instantia ibi posita bona est, quia enim Deus non de necessitate agit ad extra sed mere voluntarie, ideo non oportet quod ipsius effectus sit sibi coevus. Et ad improbationem cum dicitur quod si effectus voluntatis non provenit, aut est ex hoc quod in agente expectatur perfectio virtutis, 645 aut sublatio impediens virtutem, aut temporis opportunitas, aut praesentia personae coram qua debet actio fieri, hic dico breviter quod quia voluntas est principium liberum, stat quod in ea non sit aliqua praedictarum rationum assignatarum. Sed quare magis uno tempore quam alio suus eveniat effectus, sufficit merum beneplacitum 650 voluntatis.

62. Et si dicatur quomodo potest effectus novus evenire sine nova volitione? Dico breviter quod cum volitione aeterna stat effectum temporaliter poni, quia volitio aeterna est ut effectus in esse ponatur pro *a* vel pro *b* mensura, et sic absque nova volitione ponitur 655 novus effectus. Sicut, verbi gratia in exemplo familiari, aliquis facit testamentum in quo dimittit quod hinc ad decem annos debeant tres missae pro anima sua cantari. Si igitur ista volitio per imaginationem continue sic duraret sine quacumque volitionis novitate videlicet trium missarum celebratio. Isto ergo modo imaginandi non 660 videtur impossibile effectus noviter continue evenire sine quacumque volitionis mutatione. Et ideo parum movet Averroistica ratio quod a voluntate antiqua non potest effectus novus aliquis provenire; quare propositum.

63. Ad octavum cum dicitur quodlibet agens quod nunc agit et 665 non semper agebat, movetur per se vel per accidens, Deus autem non

639 necessario] sequitur *add. sed del.* C 649 suus eveniat] *inv. sed corr. signis transp.* C

638 Ad septimum] Cf. supra n. 45. 664 Ad octavum] Cf. supra n. 46.

potest moveri per se vel per accidens, ergo propositum, et per consequens si agit, aeternaliter agebat, hic dico quod maior non est vera nisi ubi reperitur novitas actionis. Nunc autem in Deo non est nova actio, ideo non oportet quod in eo sit motus per se vel per accidens. Et ad probationem cum dicitur quod tunc talis actio est aeterna cum sit Dei essentia et per consequens effectus est aeternus, ista consequentia non valet; conceditur tamen antecedens. Et ratio negationis assignata est superius in responsione ad sextum argumentum. Sic igitur apparet qualiter illa propositio maior est intelligenda, et stat propositum.

C 173ra

64. Ad nonam rationem cum dicitur quod entitas cuius operatio est supra tempus est aeterna, talis est intellectualis natura cuius operatio est intelligere quod est supra tempus cum in eodem instanti intellectus capit principia et conclusiones, quare propositum, hic dico quia argumentum tangit unam difficultatem specialem quae indiget prolixa consideratione, videlicet de mensuris naturarum intellectualium et suarum operationum, et ideo breviter pertranseundo advertendum est quod triplex mensura ponitur a doctoribus, videlicet aeternitas, aevum et tempus secundum triplicem considerationem creaturarum et universaliter totius entis. Aut enim ens de quo habetur consideratio est immutabile tam actu quam potentia, aut immutabile actu sed potentia mutabile, aut est mutabile tam actu quam potentia. Prima entis condicio soli Deo correspondet cui pro mensura assignatur aeternitas. Secunda entis condicio correspondet naturis intellectualibus dependentibus quibus pro mensura assignatur aevum. Sed tertia entis condicio correspondet generabilibus et corruptibilibus quibus pro mensura assignatur tempus. Secundum ergo istum ordinem procedendi patet quod ista consequentia non valet operatio angeli vel intellectualis naturae est supra tempus, ergo est aeterna. Apparet quod non, quia adhuc aevum est mensura superior secundum perfectionem, et sic apparet quod ratio non sumebat evidens fundamentum. Sed utrum aevo conveniat successio vel non, alterius est speculationis de qua nihil ad praesens.

65. Ad decimum et ultimum cum dicitur vel mundus est aeternus vel Deus non est omnipotens, nego illam disiunctivam. Et ad probationem quando dicitur quia si mundus non est aeternus, Deus per infinitum tempus fuisset otiosus, nego istam consequentiam. Et ratio

697 aevo] *mg.* C **700** disiunctivam] quia si mundus non est aeternus *add. sed del signis* va-cat C

673 ad sextum] Cf. supra n. 60. **676** Ad nonam] Cf. supra n. 47. **699** Ad decimum] Cf. supra n. 49.

- est, quia tunc potentia dicitur otiosa cum caret propria actione. Sed in proposito non est verum, quia Dei actio sive volitio est aeterna qua
 705 voluit mundum produci quando productus est. Et ideo quamvis mundus non fuierit aeternus, Deus tamen non vacavit otio, cum in ipso nulla sit novitatis actio data etiam per impossibile quod non esset ad extra productivus, adhuc non esset otiosus pro eo quod se ipsum specularetur et diligeret et in se ipso esset felicitatus, et sic per
 710 consequens esset in continua virtuosa exercitatione, cum felicitas sit operatio sursum virtutem in vita perfecta, ut dicitur I *Ethicorum*. Immo potius Dei exercitium est circa sui speculationem quam aliarum rerum, quia ex hoc quod intelligit et vult se, intelligit et vult alia.
66. Sic igitur apparet quod rationes physicae non adducunt
 715 lumen luminis fidei celativum, sicut in adventu maioris lucis non percipitur minor incusse. Igitur fideli professione tenendum est mundum aeternaliter non extitisse, et ut Scripturarum exhortium nos informando| clamat altius: *In principio cravit Deus caelum et terram.* C 176rb
 Et tantum de prima consideratione.

710 cum] operatione add. sed del. C

711 I *Ethicorum*] Cf. ARIST., *Eth. Nic.*, I, c. 6 (AL XXVI-4, 384; A, c. 6; 1098a 15-20); *Auct. Arist.*, ed. J. HAMESSE, p. 233: Felicitas est perfectio animae secundum virtutem perfectam. 718 In...terram] Gen. 1, 1.